

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 6475

**Autre(s) référence(s)** : Bates 62

**Auteur(s)** : Guillaume Ier le Conquérant, Angleterre (roi)

**Bénéficiaire(s)** : Caen, La Trinité (abbaye)

**Genre d'acte** : diplôme

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : [1066-1083]

**Action juridique** : autre

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Guillaume [Ier], roi d'Angleterre, et la reine Mathilde répartissent le patrimoine de l'abbaye de la Trinité de Caen.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Musset Lucien, *Les actes de Guillaume le Conquérant et de la reine Mathilde pour les abbayes caennaises*, Caen, Caron (MSAN ; 37), 1967, n° 12.
- b. Bates David, *Regesta Regum Anglo-Normannorum*, the Acta of William I (1066-1087), Oxford, Clarendon Press, 1998, n° 62, p. 292-295.

## Dissertation critique

Datation proposée par D. Bates (voir BATES, *Regesta Regum Anglo-Normannorum*, p. 293).

Texte établi d'après b

Divina itaque regis perpetui disponente clementia, Gwill(eltu)s Anglorum rex excellentissimus ac Normannorum dux, Roberti comitis filius, coniunxque sua reginarum nobilissima, Baldoini incliti ac strenuissimi Flandrensium comitis filia regisque Francorum Henrici neptis clarissima, Mathildis nuncupata, cenobium in Cadomo in honore sanctæ et individua Trinitatis mirificum construxerunt, et ibi cætum sanctimonialum sub regula norma degentium constituerunt, eisque abbatissam omni probitate conspicuam perfecerunt, atque singulis quibusque obendentium quæque necessaria prout competebat unde supplerentur attribuerunt.

De secretaria. [D]ederunt itaque secretariæ ad opus æcclesiæ oblationes altaris et quicquid auri vel palliorum cænobio datum fuerit, et libera altaria duarum æcclesiarum, sancti videlicet Stephani et sancti Martini, cum sepulturis ipsarum. His namque æcclesiis attinent sepulturæ dimidii Cadomi et totius Vilers, et quicquid Milo tenebat in æcclesia sancti Michaelis de Valceolis et in molendino, ecclesias ætiam Falesiæ cum omnibus appendicibus excepta annona.

De canonicis æcclesiæ. Constituerunt quoque in eodem cenobio quattuor canonicos, quibus domos dederunt ante æcclesiam, et quadraginta acros terræ et quattuor liberos homines, et in Blevilla triginta acros terræ, in Burnoldi etiam villa dimidiam æcclesiam cum dimidia decima, et in Colavilla dimidiam decimam et unum rusticum, et decimam de villa quæ dicitur Pirus, atque in Caru(n) dimidiam decimam et unum rusticum, et in Blet duas partes decimæ unumque rusticum, et in Ca(m)bis duos rusticos.

De victu sanctimonialium. Ad victum vero sanctimonialium et ad opus hospitem constituerunt in Cadomo terram duarum carrucarum et x acros pratorum, unumque molendinum ac aliud dimidium, atque decimam brasi et panis qui appendit ad prefecturam Cadomi ; de Caluiz quoque iiiiam partem et terciam partem de Grai ; Ostrehan ætiam cum omnibus appendentibus atque villam Barge, et Calidum furnum et Folebec cum omnibus appendentibus, et Eschenevillam atque Carpichetum ac Salan cum appendentibus ; dimidiaque silva Montis Alboldi atque Osberniam villam, de Ranvilla iiiiam partem et terciam partem de Grandi Campo, duasque partes villæ quæ dicitur Puteus, et in Grainvilla terram unius carrucæ et duos rusticos, ac in insula Gersei terciam partem sex parrochiarum cum molendino duobusque liberis hominibus, decimam ætiam de la Forest de Avrencedin cum omnibus æcclesiis et ducentis acris terræ atque molendino ; de Bavent quoque et Diveta decimam de nummis et balenis, de eo scilicet quod Sanctus Stephanus ibi habet ; in Billei vero terram unius carrucæ, atque in Vallis terram unius carrucæ et dimidium molendinum ; præterea omnem pecuniam mortuorum et omnes caritates vivorum. In valle Albeviæ vii arpennos vineæ, et in Lered tres, atque in Argences viii et in Uismes v, ad quas omnes faciendas vineas dederunt decimam de Wacei de molendinis et theloneo, dimidiamque decimam Hainoldivillæ atque tres rusticos in villæ Bures, atque in Anglia villam quæ Hantona dicitur.

De camera. Ad cameram autem et ad ligna dederunt in Anglia Filestedem et Tarentum et Penneberiam, et decimam de lana reginæ, et quicquid vestimentorum exceptis palliis cenobio datum fuerit.

De dormitorio. Denique ad luminaria dormitorii dederunt decimam thelonei de Escocei. Ad luminaria quoque domorum infirmarum iiii censarios in Monasteriis qui reddunt xl solidos.

De elemosina. Porro ad elemosinam dederunt terciam partem decimæ totius Vilers et dimidii Cadomi, atque decimam denariorum omnium de omnibus caritatibus vivorum et mortuorum, atque tres partes de Willun, et in Amblida unum molendinum atque terram unius carruce tresque bordarios cum iiii liberis hominibus, et in Monte Bodein unum rusticum et duas partes decimæ, ac in Goisberti villa duas garbas decimæ de carruca Theoderici et Willelmi unumque bordarium qui ten[et iiii acros] terræ atque in Bolgi xx acros terræ et duas garbas deci[mæ] de terra Willelmi Canuti, et decimam Grentivilæ quam Gw(illermus) de Germundivilla dedit pro sua anima, et in Chetehulmo unum molendinum cum terra unius carrucæ, et in Anglisca villa xl acros, et terram Fagi cum omnibus appendentibus, decimam quoque omnium bestiarum baconumque et caseorum qui de Anglia cænobio afferentur.

Præterea constituerunt quamdam feriam ante portam Sanctæ Trinitatis in octavis Pentecosten, et concesserunt omnes dignitates suas totius ville quamdiu feria duraret, in consuetudinibus et in theloniis sicuti feria Prati habebat, et illud redditum concesserunt ad victum monialium.

Præterea constituerunt ante cænobium basilicam in honore sancti Egidii, ubi pauperes sepelirentur, eorumque obitui sepulture semper presens adesset elemosynaria et quattuor canonici principalis ecclesiæ.